

Dokumente

Autor(en): **[s.n.]**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Divus Thomas**

Band (Jahr): **4 (1917)**

PDF erstellt am: **12.07.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-762561>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

DOKUMENTE
ACTA BENEDICTI PP. XV
EPISTOLAE

I

AD R. P. ALEXIUM MARIAM LÉPICIER, ORDINIS SERVORUM
B. M. V. PRIOREM GENERALEM, EIUS TRACTATUM THEOLO-
GICUM DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA DILAUDANS

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Probe Nos quidem cognovimus qua tu et diligentia et sanae doctrinae copia et quanta cum alumnorum utilitate ac doctorum hominum comprobatione sacram theologiam in urbaniano collegio „Propaganda fidei“ multos annos tradideris. Quod erudiendae iuventutis studium ne tum intermitteres cum omni tuo Ordini praefectus, recte instituisti, conscribendis de universa theologia libris, alumnis sacrorum longe plurimis esse adiumento. Huius incepti ac laboris tui fructus cum iam non pauca edideris volumina, in quibus ea quae ad dogmata pertinent et accurate et copiose exponis, tum libenter te videmus in altera theologiae parte, quae de Ecclesiae sacramentis est, nunc scribendo versari. Sunt enim in manibus tua scripta, quae nuper a te muneri accepimus, de Eucharistia et Sacramento et Sacrificio. Qua in re illud in primum Nobis probatur te, quemadmodum de dogmatis, pro tua in Dei Parentem pietate, a Mariologia, quod est theologiae tamquam summarium, ita de sacramentis a tractatione Eucharistiae, quod est sacramentorum maximum et christianae fidei quasi centrum atque id unde potissimum Ecclesia viget, scribendi initium sumpsisse. Sed nihil ea qua hic, sicut in ceteris de theologia libris, uteris ratione ac via probabilius. Auctorem enim religiosissime sequeris Aquinatem, qui cum in quovis argumento tractando praeclarus exstitit, tum in hoc plane

mirabilis: atque eum ita sequeris interpretando praesertim in Summa Theologica, ut ipsius doctrinam eodem rerum ordine explices. Quo autem tractatio plenior sit atque uberior, ad Summam illustrandam ex aliis eius operibus itemque ex Sanctis Patribus optimisque recentioris etiam memoriae scriptoribus quaesitos locos adhibes. Accedit quod dulcedine quadam pietatis totum opus perfunditur, quo fit ut dum illuminatur mens, animus moveatur. Vehementer igitur tibi gratulamur, quod Nostris et decessorum Nostrorum praescriptionibus de studiis clericorum tam bene es tamque utiliter obsecutus: non semel enim in sacra theologia tradenda ipsos adiri Thomae fontes Nos quoque ediximus oportere. Tu vero, dilecte Fili, qua consuevisti alacritate et industria ad ea quae reliqua sunt contende, sacrae quidem iuventuti optime serviens, tibi ubertatem parans divinatorum munerum. Quorum auspiciem ac benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem tibi, dilecte Fili, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum die X mensis ianuarii MCMXVII, Pontificatus Nostri anno tertio.

BENEDICTUS PP. XV

(Acta Apostolicae Sedis IX, 1 Martii 1917, p. 101—102)

II

AD R. P. D. IACOBUM SINIBALDI, EPISCOPUM TIT. TIBERIENSEM, CONGREGATIONIS SEMINARIIS ET UNIVERSITATIBUS STUDIORUM PRAEPOSITAE SECRETARIUM: EIUS OPUS „ELEMENTOS DE PHILOSOPHIA“ LAUDIBUS PROSEQUITUR

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Diuturnae munus disciplinae laborisque multo diuturnioris, tuum de Elementis Philosophiae librum accepimus perlibenter, quarto nuper editum in lucem; qui quidem quum primum apparuisset, novimus quibus eum laudibus docti et sapientes viri sint prosecuti. Atque his laudibus magnum pondus accessit, ut meminimus, ex eis litteris, quas decessor Noster illustris, Leo XIII fel. rec. in commendationem operis tui dedit ad Episcopum Conimbricensem. Sane ei Pontifici, cui nulla fuit antiquior cura, quam ut Thomam Aquinatem apud scholas catholicas in

praecipuum honorem restitueret, quum ex eius voluntate magisterium philosophiae in Conimbricensi Seminario tibi, utpote ad sapientiam Doctoris Angelici egregie exculto, esset demandatum, debuit pergratum accidere ut optimum, quod de te fecisset, iudicium tam bene re ipsa confirmaretur. Etenim haec duo volumina vehementer probari videmus intelligentibus tum sinceræ doctrinae copia, de Thomae hausta vel derivata fontibus, tum valida contra multiplices errores defensione veri, tum lucido rerum ordine scribendique perspicuitate. Quod postremum licet coniecere quanto constiterit tibi, qui quum Lusitane prorsus nescires, tamen assidua contentione id egeris, ut eam linguam ad quamlibet philosophiae subtilitatem inflecteres. Nec vero satis hic habes principia Thomistica usitatis in Schola illustrare tuerique rationibus; convincis praeterea nihil certi ex disciplinis naturalibus afferri quod cum iis non congruat. Itaque opus confecisti quod omnibus numeris in suo genere absolutum videtur, in primisque accomodatum clericis qui se ad ineundum sacrae theologiae studium comparant. Profecto qua parte tuus liber res divinas attingit, id spirat pietatis caritatisque ut mirum non sit, quod audimus, huius disciplinae alumnos, quorum manibus sit versatus, ex eo diligere et amare Iesum Dominum didicisse, eundemque et in Lusitania et per Brasiliam saluti animarum utilem fuisse. Quare gratulamur tibi ex animo, venerabilis Frater, et Sacratissimo Cordi Iesu, cui debentur suscepti a te in eius gloriam laboris tam uberes fructus, gratiam tecum agimus, suisque te pergat, precamur, donis augere. Quorum auspicem et singularis benevolentiae Nostræ testem, tibi tuisque apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XV mensis februarii MCMXVII, Pontificatus Nostri anno tertio.

BENEDICTUS PP. XV

(Acta Apostolicae Sedis IX, 1 Martii 1917, p. 107—108)